DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

MORBIS GENU HUMANI

SYMPTOMATICIS.

DISPUTATIO INAUGURALIS,

DE

MORBIS GENU HUMANI

SYMPTOMATICIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS LLOYD,

HIBERNUS,

CHIRURGUS,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

VIII. Cal. Jul. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXIV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

AMICO SUO CARISSIMO,

CAROLO HAWKES TODD,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. EBLAN. SOC,

&c. &c. &c.

OB AMICITIAM NUNQUAM OBLIVISCENDAM;

HOCCE OPUSCULUM,

PARVUM TESTIMONIUM,

OFFERT

GULIELMUS LLOYD.

20

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

MORBIS GENU HUMANI

SYMPTOMATICIS.

Auctore Gulielmo Lloyd.

Cum solenne sit, unumquemque candidatum in hac Academia nomen suum profiteri, et studiorum specimen priùs edere, quàm ad gradum doctoratûs aspiret; ut huic consuetudini quodammodo satisfacerem, quædam de Morbis Genu ut scriberem suadeor, utpotè occasio mihi persæpè oblata videndi diversas affectiones morbidas quibus hæc articulatio obnoxia est.

De his omnibus dicere, longum foret; meque ultra limites theseos hujus generis traheret. De morbis genu symptomaticis tantùm disserere in animo est.

Morbi symptomatici genu in *quatuor classes* distingui possunt; scilicet, in Hydarthrum SCROFULOSUM, RHEUMATICUM, VENEREUM, et MERCURIALEM.

Morbi hi, nostris in regionibus frequentissimè, quovis anni tempore, homines infestant: et, atrocium symptomatum catervâ stipati, ossa pessimè afficiunt; et, nisi arte occurrantur, ægri, exquisitissimis doloribus cruciati, raró ab orci faucibus liberantur.

Quid levaminis ex medicina sperandum sit, constabit, si morbi indolem, causas, diagnosin, et prognosin, paucis exponam.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

DE HYDARTHRO SCROFULOSO.

Nomen, Definitio, et Sedes Morbi.

HUJUS affectionis, scriptores peregrini varias species notavêre; sed affectio *scrofulosa* propriè dicta, rarò attentionem arripuit: vulgò nominatur *Hydarthrus*, Anglicè *White Swelling*.

WISEMAN primus hoc nomen dedit, quod maximè idoneum videtur, comprehendens (secundum POTT) diagnosin præcipuam, et symptoma pathognomonicum, scilicet, quamvis articulus amplietur, cutem, initio, non rubram fieri, sed colorem naturalem retinere.

Discrimina quæ nonnulli scriptores systematici fecerunt inter affectiones articuli, nullo modo accurata sunt. Minimè placent appellationes, *Hydarthri*

Hydarthri rheumatici et scrofulosi, Anglicè *White Swellings;* et opinor distinctionem a Domino Crowther factam, in *acutum* et *chronicum*, maximè commodam esse.

Dominus S. Cooper, in classes varias, morbidas affectiones genu dividit, sub genere *Hydarthri*. Sed, me judice, haud idoneum est. Dicit se nonnullos morbidos articulos vidisse, in quibus ossa, ligamenta, et cartilagines parùm affici, toto morbo constante ex depositione lymphæ, quæ laminis membranæ cellularis, superficiei tendinum, ligamentis et capsulæ articulationis, adhærit.

Idem auctor alium memorat morbum articulationis, qui ossa haud afficit, sed in quo ligamenta et cartilagines multùm patiuntur, et articulus magnam molem adipiscitur.

Rursùs tertiam notat formam, in quâ ligamenta, cartilagines, et ossa, non præcipuè damnum

num fecerunt: quamvis articulus amplificationem subiit, moles pro maxima parte ex statu morbido partium extra ligamentum capsulare oriens, non constat ex viscidâ lymphâ diffusâ per structuram exterioris partis articuli, sed ex morbida mutatione, in quâ hæ partes fiunt ampliores, crassæ, et omni stabilitate naturali privatæ.

Alia exempla sunt, in quibus ossa structuram mollem induunt, dum ligamenta morbi præda sunt, cartilagines absorbentur, et ossa morbo progrediente cariosa fiunt.

Dominus Brodie dicit: "The morbid affec-
" tion (white swelling) appears to have its ori-
" gin in the bones, which become preternatu-
" rally vascular, and containing a less than usual
" quantity of earthy matter, while at first a
" transparent fluid, and afterwards a yellow
" cheesy substance, is deposited in their cancel-
" li. From the diseased bone vessels carrying
" red

" red blood shoot into the cartilage, which af-
" terwards ulcerates in spots; the ulceration
" beginning on that surface which is connected
" to the bone. The ulceration of the cartilage
" often proceeds very slowly. I have known
" a knee amputated on account of this disease,
" in which the cartilage was absorbed for not
" more than the extent of a sixpence *."

Secundum Dominum RAMSDEN portio membranæ inflammata intra cavum articuli existit (quamvis tam parva sit ut nullum dolorem pariat), et gignit tantam distentionem indurationemque partium superjacentium, ut condyla ipsa expansa esse sæpè videntur.

Initio morbi, mihi videtur, inflammationem aggredi membranam articuli bursalem, quæ ex morbida

* Medico-Chirurgical Transactions, vol. iv.

morbida actione in structura ossium cellulari existente, et varia gignente phænomena quæ vulgò occurrunt dissectori in morbo scrofuloso hujus articuli, oritur; et, me judice, potest oriri ex lævissima ossium dispositione ad morbidam actionem. Hæc actio morbida partium mollium, sistere actioni in osse possit, propter eandem causam ob quam externa irritatio in quibusdam casibus felicibus suspendendo irritationem in internis partibus, dat systemati occasionem vires exercendi, et tandem morbum superandi.

Haud invenire possum cur BENJAMIN BELL, cum aliis auctoribus insignibus, præsertim BOYER, utatur nomine *Hydarthro rheumatico*, nam vix ullus casus hujus morbi Rheumaticam diathesin exhibet.

Secundum Dominum RUSSELL * et COOPER, magnam

---

* RUSSELL on the Knee-joint.

magnam amplificationem articulorum posse occurrere sine affectione ossium, quorum prior sentit ligamenta et cætera articulationis plerumque pati, et ossa rarò unquam.

Johannes Hunter putavit duo esse hujus morbi genera, unum verè scrofulosum, alterum in quo inflammatio simplex simul cum scrofulosa est. Attamen Dominus Crowther, cùm hunc morbum descripserit, sentire videtur articulos duplice modo pati; primo, posse sedem habere in interiori ossium structura, et alias partes dein afficere, earum superficies reddendo morbidas, et cartilagines abrasas, superficie articuli internâ priùs malè se habente.

Diu dubium fuit, utrum reverà capita ossium ampliora fiunt; at nunc inter omnes ferè constat, ossa non mole augere, et intumescentiam dilatatione partium externarum, et effusione viscidæ substantiæ articulum circumdantis, præcipuè pendere.

Dominus Brodie inquit*: "Inflammation
" takes place occasionally on the articular extre-
" mity of a bone, and an abscess forms, and
" bursts into the joint. Where this happens,
" there is sometimes a fresh formation of bony
" matter, in consequence of inflammation and
" ossification of the periosteum, and this con-
" stitutes the only species of diseased joint
" which has come under my own observation,
" in which an actual enlargement of the bone
" takes place. Where the soft parts of a joint
" are considerably thickened, a feeling is some-
" times given to the hand, as if the bones them-
" selves were increased in size. Mr Lawrence
" some years ago observed, and pointed out,
" that this feeling is deceptive."

Femur et humerus morbo opportuniores

 quàm

* Medico-Chirurgical Transactions, vol. iv.

quàm ossa quibus connectuntur, adeò ut, cùm morbus in genu existit, tibia, post mortem vel amputationem, sine damno interdum invenitur.

Progrediente morbo, substantia viscosa vel gelatinosa effunditur in membranam cellularem quæ articulum circumdat, quâ poples impletur, tendines flexores incrassantur, et ossa ipsa tam mollia fiunt ex carie, ut cùm ferramentum chirurgicum contra partem cariosam impellitur, facilè in condyla penetrat. Cartilagines interarticulares aliquando absorbentur, in medio nonnunquam seri cum pure misti, et flocculis substantiæ coagulatæ, natant.

In ultimo stadio, genu magnam molem attinet ; et hæc moles major videtur quàm reverà est, ex eo quod membrum supra et infra sedem morbi marcescit.

De Signis.

Tumor articuli initio, parvus est, vel nullus, sed æger de genu dolore quærit. Primum symptoma notatu dignum est, plenitudo cava parvula in utroque patellæ latere sita occupans, quæ paulatim crescit, et tota articulatio citò fit major, formam globularem induens; tumor cedit pressuræ, sed nunquam vestigium digiti exhibet.

In primo stadio dolor interdum gravis est, interdum lævis, sed in utroque casu aliquam articuli partem definitam occupat, plerumque centrum. In nonnullis casibus dolor caput tibiæ occupat, perpetuus est, sed sæpissimè intervallis recurrit, et nocte, cum æger in lecto recumbit, præcipuè sævit. Onus corporis non potest ferre cum conatur ambulare, sed paulatim habitum acquirit solum tangendi digitis pedum; quo modo

modo genu flexum servatur, et potestas extendendi in toto amittitur. In stadio provecto morbi, genu omninò demiflexum est. Articulus magnam molem attinet, cutis fit lævis ex distentione, et etiam venæ varicosæ. Morbi progressu, multi apparent abscessus, et materiam quam continent per ulcera emittunt; hi interdum sanantur, et alteri abscessus in variis partibus formantur. Salus ægri nunc multùm deterior fit; robur, valetudo et cibi appetitus decrescunt, vigiliis afficitur, pulsus tenuis est, et celerrimus, perpetuò sudat, præcipuè manè; sudores, diarrhœâ colliquitivâ alternant, qui ad pejus tam sæpè ruunt.

Celeritas quâ morbus procedit varia est; interdum non multùm ingravescit per multos annos post primum aggressum; sed ut plurimùm, suppuratio, febris hectica, et alia symptomata, post primam invasionem superveniunt. Glandulæ inguinales sæpè irritatione augentur; sed rarò molestæ fiunt. Articulus interdum formam

mam insolitam ex ruina ligamentorum sumit; ossa cruris in posteriorem partem femoris retrahuntur, forti musculorum cruris flexorum actione. In casibus nonnullis quos mihi videre contigit, notavi dislocationem articuli lateralem oriri ex eo quod ægri genu demiflexo, in latere affecto recubuerunt, interno cavo tibiæ, condylo femoris externo, ob ligamentorum interitum, applicato.

Aditus *Morbi Coxarii* dicti, interdum genu affectionis aspectum gerit, et in hunc finem tractatur, donec aliqua symptomata doloris in ejus vicinitate sese ostendunt.

Ad prima *Morbi Coxarii* symptomata dignoscenda, observatione accuratâ opus est: incipiente æger dolet in genu, quia dolor a morbi sede cursum sequens musculi vasti externi, ad talum usque tendit. Membrum inspectum, sano longius invenitur. Nates ejusdem lateris planæ apparent, absque solita convexitate

vexitate. Membrum nunc macilentius fit, et præ omnibus certissimum morbi symptoma est, plenitudo in inguine, unà cum dolore, firmâ pressurâ supra acetabulum digitis admotâ. Dominus FORD optimè indigitavit symptomata quibus hic morbus distinguitur.

Causæ

Causæ Excitantes.

A domino BURNS observatur *, causas quæ in sano corpore inflammationem vix inducerent, ortum daturas morbo locali in habitu scrofuloso; ergo externa injuria, frigus et humiditas faciliùs morbum inducunt in scrofuloso, quàm in ullo alio.

Hæ habendæ sunt præcipuæ causæ excitantes. Interdum rheumatismus fit causa excitans hujus morbi, sed rarò, quum systema ex scrofulosa diathesi laborat, cujus naturam anteà notavi. *Angli* huic morbo subjecti sunt; et inter

* De Inflammatione.

ter *Scotos* tam familiare est, ut Doctor Thomson asserit, vix aliquis eorum a morbi impetu per vitæ decursum omninò immunis evadit *.

Cutis nitens, crinis subrufa, color venustus, oculi cœrulei, labium superius, et alæ nasi tumida memorantur, ut diathesis scrofulosi indicia; et sæpè videntur in iis qui sic afficiuntur; tamen notandum est casus scrofulosi articuli haud rarò in melancholicis temperamentis occurrere. Pus ex abscessibus articulorum scrofulosorum emissum, semper ex materiâ albuminosâ mistâ flocculis coagulo similibus, constat. Talem materiam in articulis scrofulosis dissecandis nonnunquam inveni.

De

* Vid. Thomson on Inflammation.

De Medendi Ratione.

Quamvis initio hujus morbi, systema haud omninò curam medici requirat, nihilominùs qui diathesi phlethorico gaudent, secundum modum antiphlogisticum tractandi sunt. Dominus CROWTHER narrat casum juvenis (filii insignis Medici), cui intra tres vel quatuòr dies cucurbitulæ applicatæ fuerunt, duodecim unciis sanguinis quaque vice desumptis, viginti unciæ e brachio detractæ fuerunt, et multæ hirudines articulo quotidie applicatæ; hic juvenis habitu strumoso laboravit. Mirum videtur, opiniones tam diversas existere de fructu sanguínem detrahendi in hoc morbo. Doctor HERDMAN, disserens de eo, sentire videtur, pendere omninò de debilitate vel morbidâ actione, et rationem doloris in articulo haud eandem esse, quàm plerumque æstimatur; oritur, se judice, non ex activa sed passiva inflammatione, et effectus

est debilitatis, et languidæ actionis. Si huic de morbo opinioni assentiremus, ploranda foret ratio medendi, et minimè ad salutem conduceret.

Quamvis appellatio *hydarthrus rheumaticus*, Anglicè *white swelling*, inepta sit, tamen rectè sentit Dominus B. Bell duas esse species *hydarthri*, nunc appellatas *acutam* et *chronicam*.

Detractio sanguinis topica, haud prætermittenda est. Donec intumescentia et dolor articuli decrescant. Usum purgantium refrigerantium sæpè præscribere oportet in hoc stadio.

Dominus Abernethy, de hoc morbo prælegens, usum irritantium prohibet, donec regimen antiphlogisticum plenè probatum fuerit, cui modo omninò assentior; multas ergo hirudines circa articulum applicari oportet, et sæpè repeti. Membrum quoque extensum servandum est. Interdum ægri auxilium medici non

rogant,

rogant, donec supervenerit suppuratio; et tunc promovetur applicatione tepidarum fomentationum et cataplasmatum, medico sentiente resolutionem non posse obtineri in hoc stadio morbi.

Casum vidi ubi pus jam formatum absorptione remotum fuit, et etiam abscessus extra articulum formati; tamen conditio talium ægrotorum periculosa est; interdum enim pereunt ex irritatione et quantitate puris ex ulceribus emissi; idcircò nullus chirurgus peritus cunctaretur, donec abscessus apparerent, sed juberet usum sive causticorum seu vesicantium pro occasione. Vesicantia ut plurimùm præponenda sunt; et eorum virtutes, putantur plùs ex stimulo quàm ex materiâ per ea effusâ oriri; quarè *Chirurgi* toto articulo vesicatoria applicaverunt, et partem sanari siverunt ante quàm recentibus vesicatoriis uterentur. Alii sentiunt ex effusione plus beneficii quàm ex stimulo provenire, et plerumque ad perpetua vesicatoria recurrunt.

Hic

Hic modus, scilicet, vesicandi in altero latere postquam priùs sanatum, multum fructûs protulit.

Integumentis inflammatis, et pure infra eas collecto, a causticis omninò desistendum est; nam interdum eschar aperturam linquit cum articulo communem, ex qua *synovia* effusa est; ergo, cùm caustica proponantur, eschar supra condyla femoris formari oportet, ubi ligamentum capsulare ex causticis applicatis injuriam haud recipiet. Si hic modus tractandi observandus sit, *calx cum kali puro*, vel *nitras argenti*, exhibenda est, et cavum pisis vel spongiæ turundis apertum servandum.

Quamvis interdum applicatio caustici fructum pareat, tamen vesicantia nunc utilissima inveniuntur, et postquam cuticula remota sit, usus cerati sabinæ a Domino Crowther tam laudati, maximi beneficii est. Unguentum ex digitalis purpureæ foliis præparatum, cum nonnullo fruc-

ut

tu usurpatum est. Me judice, folia hyoscyami in unguentum facta, eodem modo quo ceratum Domini CROWTHER, haud inefficacia forent.

Quoniam scimus gelida multùm profuisse, (quamvis vix ullam vim medentem possidentia, quàm inflammationem minuendi et morandi progressum morbi ad suppurationem); hæc tepidis fomentationibus præponenda sunt post usum hirudinum.

Dominus ABERNETHY plerumque utitur tincturâ opii cum multâ aquâ diluta. Acetum cum muriate ammoniæ et aquâ mistum, idonea applicatio est.

Usus hydrargyri externus interdum suadetur. Dominus B. BELL usum ejus vehementer hortatur; tamen ejus modo utendi ad inducendam systematis affectionem haud assentio, quoniam in nonnullis casibus quæ mihi sese obviam iverunt, ægri citò in hecticam lapsi sunt. Nunquam

quam ad eum recurrere oportet, nisi cùm cupiamus absorptionem promovere fluidi sub integumentis collecti.

Marina immersio, seu applicatio aquæ marinæ, videtur multùm laudari ab JOHANNE HUNTER, et Chirurgis Gallicis.

Quercus marinus, (*Fucus serratus*, LIN.) externè applicatus, multùm ab eo comprobatus est; hic modus non multum beneficii infert.

Cœlum marinum parvi habetur, et articuli morbo affecti multùm pejores fiunt post habitationem prope mare. Notatu dignum est, plures esse casus articulorum scrofulosorum inter eos habitantes oppida marina. Doctor HAMILTON, in libro *de Scrofulâ* dicit, "Quamvis commorer in oppido *Lynn* juxta oceanum Germanicum, tamen per quadraginta annos medicinam exercens, nunquam vidi deteriores casus hujus morbi quàm in eodem loco." Si ex cœlo marino,

no, seu immersione marinâ, ullum beneficii proveniret, scrofula minùs hic polleret; sed res non ita se habet.

Inter causas cur morbus hic valeat, æstimandus situs oppidi *Lynn* agris paludosis circumditi; nam nulli ignotum est, humiditatem systema debilitando morbo favere, et symptomata graviora reddere.

Contra suppurationem cavere debet. Si mala fortuna superveniat, cinchona et vinum adhibenda sunt; ubi diarrhœa et sudores vexant, opium, astringentia, et acida mineralia, prosunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE HYDARTHRO RHEUMATICO.

Rheumatismus genu, et alios articulos infestat; et rarò unam tantùm articulationem occupat. Ejus symptomata tam facilè dignoscenda sunt, ut non metuamus ne cum scrofulosa affectione confundatur. Dolor articuli rarò supervenit sine rubore et tumore evidentibus. Dolor non subsidet eâdem ratione quâ tumefactio; scrofulosus morbus contrà, anteceditur dolore, qui minùs gravis fit post tumorem articuli quàm anteà; plerumque nonnulla pyrexia est, et diathesis phlogistica, dolores lancinantes sunt acutæ, cursumque musculorum occupantes, et sæpè partem primam affectam deserentes, et aliam occupantes. Ad morbi curationem regimen antiphlogisticum, diaphoretica, balneum tepidum et frictio, multùm conferunt.

CAPUT TERTIUM.

DE HYDARTHRO SYPHILITICO.

Syphilis interdum aggreditur articulos, et præcipuè genu, unà cum syphilitico statu totius corporis. Dominus Russell, in libro de Morbis Genu, dicit, vidisse varietates hujus affectionis, et videtur sentire nonnullas scrofulosas esse, et alteras venereas. Sed, quatenus intelligo, hæc opinio non rationibus benè fundatis innititur.

Incipit cum nonnullo tumore et fluctuatione, quæ bursas mucosas solùm afficit: hæ effusiones interdum oriuntur ex rheumatismo, et etiam typhi crisis sunt, sed posterior casus raró occurrit. Me judice, venerei statûs genu symptomata sunt sequentia: morbus incipit

cum subitâ et universâ intumescentiâ articuli, multo dolore comitatâ, qui interdum ingravescit sub digiti pressura; dolor non ad aliquam definitam partem referri potest; sed hic et illic per articulum, nunquam afficiens musculos, ut in rheumatismo: cutis etiam rarò nativum colorem amittit, nec polita est superficie, aut globularis formæ, ut in affectione scrofulosa. Scrutantes invenimus bursas tumidas, præcipuè eam supra patellam, et interdum densatas, cum sensu fluctuationis; dolor sub noctem gravior est, et, progrediente morbo, tendines flexores cruris, æquè ac poplites, manent illæsæ, et æger queritur de similibus affectionibus aliorum articulorum, unà cum maculis et aliis symptomatîs luis. Ampliatio bursarum interdum magna est; et Doctor Colles, Eblanæ, sentit plus esse effusionis in ligamentum capsulare, in hac quàm in plerisque aliis affectionibus, et dolorem non tam urgere quàm in scrofulosa. Usus hydrargyri externus, usque dum signa usitata in systemate pariat, symptomata leviora reddit, et demùm morbum pellit.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

DE HYDARTHRO MERCURIALI.

Hydrargyria, sive irritatio specifica, oriens ex hydrargyri usu incauto, haud raro genu invadit, et tam similis est venereæ affectioni, ut necesse sit in animum revocare quantitatem, qualitatem et effectus hydrargyri jam sumpti, ut justam valeamus diagnosin inter eas constituere. Si morbus occurrat dum syphiliticus utitur hydrargyro, et præcipuè si systematis magna excitatio adest, satis compertum erit, affectionem non posse veneream; ergo in his casibus ab usu hydrargyri abstinendum, durante irritatione. Rheumatismus non multùm dissimilis est morbo mercuriali in articulis, et sæpè originem ducit e frigore dum corpus hydrargyro afficitur; rheumatismus magis dolet, et faciliùs tractatur.

Primò

Primò potiùs cutem occupat et musculos, partibus profundis secundariò affectis; dum in mercuriali, ligamenta et partes profundæ priùs ægrotant, et posteà partes superficiales afficiuntur.

Oportet removere ægrum in frigidulum conclave benè ventilatum, et de usu hydrargyri abstinere, nisi alia symptomata syphilitidis appareant. Si irritatio mercurialis urgeat, sanguis, parcâ manu, detrahenda est. Balneum tepidum et diaphoretica, maximi usûs sunt; et ante omnia, si debilitas nimis urgeat, vires sustinendæ modico usu vini, et cinchonæ, cum acidis mineralibus.

FINIS.